DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE Humorum Alteratione.

QUAM

FAVENTE DIVINA GRATIA,

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris

D. CAROLI DRELINCURTII,

Regii olim in Galliis Medici nunc verò in hac Universitate Professorum Antiquissimi,

NECNON

Amplissimi Senatûs Academici unanimi Consensu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, Prærogativis ac Privilegiis ritè & legitimè consequendis,

Publico examini subjicit,

PETRUS HENRICUS MASCHURÉ,
Mosæ Trajectinus.

Ad diem 1 *Aprilis, horis locoque solitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. M DC XCIV.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

A

SON ALTESSE

MADAME ELEONORE,

par

LA GRACE DE DIEU

PRINCESSE,

ABBESSE DU TRES NOBLE ET TRES ILLUSTRE CHAPITRE DE

MUNSTERBILSEN,

NEE COMTESSE D'ASPERMONT, REICKEM, ETC.

DAME SOUVERAINE DE MUNSTERBILSEN,

WILLEN, HACCOURT, HALLEBAYE,

SPA, BERGH, ETC.

MADAME,



i le plus sage de tous les Roys a ordonné dans le Livre de ses Oracles, aussi bien aux Princes de la terre, qu'au resté de ses habitans, d'honorer ceux qui professent l'art, dont ce petit livre contient en abbregé les premieres regles, & les principaux fondamens, il semble aussi que par un juste retour, les plus belles recherches de cet art doivent être dediées aux personnes les plus Illustres, puis qu'elles nous ont eté enseiguées particulierement pour la conservation de leur vie toujours necessaire au bien public. C'est dans cette veue, MADAME, *que ie presente a* VOTRE ALTESSE, *cet essay de mes estudes. J'ose dire que l'offre que ie vous en fais est plutôt une prodnction du cœur que de l'esprit, car si ie place a la tête de cet ouvrage le* NOM *de* VOTRE ALTESSE, *ce n'est pas pour faire ostentation de mes connoissances dans les matieres qu'il traitte, mais pour faire paroitre la siuguliere veneration que j'ay pour Vos Eminentes qualites. N'est*

 il


il pas juste, MADAME, *que ie consacre mes estudes a celle qui donne touttes les siennes au repos & a la gloire d'un des plus Nobles & des plus Venerables Chapitres de l'Europe? qui gouverne avec autant de sagesse que de douceur des* DAMES *qui tant par leur Noble extraction que par leur belle education meriteroient touttes de gouverner, ou de partager le gouvernement avec des souverains? il ne m'appartient pas*, MADAME, *de faire icy l'Eloge de Votre* TRES-NOBLE FAMILLE. *l'Eglise en a asses reconnu le merite, l'ors qu'elle a orné de la* Pourpre *Vos plus proches, & qu'elle a ajoute à leur Principautes seculieres, la qualité d'*EMINENTISSIMES PRINCES *de l'Eglise. Les* EMPEREURS *l'ont aussi asses reconnu, lors qu'ils ont fait entrer dans Vostre* MAISON *les premieres charges de la Guerre & du Conseil. Le rang sublime que* VOTRE ALTESSE, *tient dans l'Eglise & dans le Monde me donneroit assés sujet de parler du beau milieu que vous avés trouvé pour unir dans Vostre* ILLUSTRE PERSONNE *la pieté d'une* Devote Abbesse, *avec la splendeur d'une grande* PRINCESSE, *pour soutenir la sainteté de Votre Vocation, sans obscurcir la gloire de Votre naissance, enfin pour rendre a Dieu ce que Vous lui deves, sans priver le monde de ce qu'il attend de Vous, mais* MADAME, *ie craindrois d'offenser Vostre modestie, & d'estre contraire au dessein que Votre* ALTESSE *a pris depuis si long temps, d'avoir Dieu seul pour têmoin de ses Vertus. Ainsi*, MADAME, *me contentant de les admirer avec tous ceux qui ont l'honneur de Vous connoitre, ie prieray seulement* VOTRE ALTESSE *de recevoir ce petit Livre comme vn Hommage que ie rends a Vos merites, & comme vne marque du tres profond respect avec lequel je suis*

MADAME

DE VOTRE ALTESSE

Le tres humble, tres obeissant & tres Fidéle Serviteur

PIERRE HENRY MASCHURE.



DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

Humorum Alteratione.

THESIS I.



umoris nomen latissime sese diffundit, & quidquid liquidum & fluidum tum in macrocosmo quam microcosmo existit, sub hoc comprehendi debet: humor itaque non abs re definiri, vel, si mavis, describi potest, omne corpus quodcumque fluidum est: fluidum vero cum existat diversum, prius claram solidi & fluidi corporis ideam necessum est ut habeamus, antequam, de iis ullus nobis sit sermo.

THESIS II.

Per fluiditatem intelligo circumrotationem perpetuam partium exilium sphæricarum vel ad sphæricas vergentium, quarum singulæ, superficies suas divisas obtinere debent: corpora enim, quo sunt exiliora, eo facilius motui æthereo illa continuo prementi & propellenti obediunt, præsertim ubi hæc independentia superficierum minimarum, earumdemque figura sphærica adsunt contrarium omnino videri licet, ubi plures terrestres simul junctæ, & in longitudinem deductæ superficies observantur, hæc namque crassior & terrestris structura statum solidum constituit, difficilem motui æthereo insinuationem permittens. Unde manifestum rursus evadit, ipsas particulas flui-

das secundum se consideratas in tantum à solidis differre, in quantum ipsa corpora terrestria breviori nexu juncta, & ad rotundam suarum partium figuram vergentia solummodo transponuntur, sublatis enim hisce articulationibus particulæ fluidæ ad soliditatem transeunt, longiores fibrosioresque concatenationes & irregulariorem situm acquisitæ ubi vice versa solida ad fluidum statum transeunt mediante solo nexus superficialis divortio, utque sphærica emergat figura cum independentia superficierum à se mutuo, qua plenaria ab omni parte posset fieri communicatio ipsius ætheris: his adde spirituum salinorum major minorve influentia aut motus in omnia latera, raritatem & circumrotationem validiorem inducens. Sic enim plura visuntur in frigore solida, in calore fluida, ut oleum anisi adipes &c. plurima accessu salium redduntur fluida, ut patet in solutionibus & extractis chimicis: hinc facile ad eadem prædicta ratiocinia confugiens fluidi & solidi naturam explicabit.

THESIS III.

Perspectâ tum fluidi tum solidi corporis descriptione offitium solidi lubet paululum intimius examinare; ex supra dictis patet constans domicilium fluidorum esse terram, quatenus requisita solidi corporis plane in illam coincidant, hæc enim latissima sui dimensione & irregulari figura figit & retinet minima hæc fluida corpora, nempe salia & aquas, ita ut solidiori huic corpori, hæc incarcerata certum ordinem non tantum adipiscantur, sed etiam & libero & continuo suo motu pro tempore cohibita, ita immobili terra obducantur, ut unum quasi corpus solidum terrestre. (saltem quoad externum situm) constituere videantur: dixi pro tempore; quamdiu enim nexus hic & ordo terrestris figuræ persistit, tamdiu mutationes status fluidi nunquam accident e-contra, ubi pristini ordinis, domicilium terrestre destruitur, resultant alterius notæ & texturæ corpora, & in diversas omnino partes secedunt: terræ enim suis fluidis privatæ, inertes & immobiles existunt quæ antea ratione fluidorum movebantur: prout itaque solidi corporis offitium est fluida in se recipere, eademque pro tempore retinere; sic eidem proprium est ea ipsa modificare corpora enim hæc exilia, antehac libere vagantia longiores recipiunt situs & ordines, ubi sese in hosce canaliculorum anfractus & labirinthos insinuantia, cinguntur duris & obtusis hisce terrestribus

par-

particulis eorumdem actionem hoc modo motumque retardantibus.

THESIS IV.

Fluidum in prima thesi diximus dari diversum, quamvis stricte loquendo unum solummodo existat sub ætheris seu materiæ subtilis nomine tantopere & à Medicis & Philosophis non abs re decantatum: requisita hujus materiæ hæc sunt, ut sit mobilissima, ut omnes obstantes corporum sinus & tubulos pervadere possit; quæ cùm salibus tanquam corporibus exilissimis & per consequens mobilissimis pungentibus ex ungue quadrent hinc eam cum Celeberrimo Domino *le Mortio* bujus Elaboratorii Chimici Præfecto dignissimo sal æthereum vocitamus: & prout salia omnia abstracte considerata una eademque existunt (prout varia à Prædicto Viro Celeberrimo facta declarant experimenta in Collegio Chimiatrico non semel à me observata) sic hæc materia nostro sensu considerata plane una est, motum suum vivificum aliis corporibus communicans, eademque sua tenuitate summa liberrime permeans: præterea sicut actionis diversitates ipsorum salium unice à mera dispositione terrestris figuræ hoc illove modo hæc spicula disponentis producuntur, sic pari passu ejusdem salis ætherei actiones vel benignæ vel noxiæ: seu (ut loquuntur) peregrinæ evadunt, ubi particulis vel disproportionatis vel amicis miscetur: omnis itaque ab hoc sale corporum motus, nec alia ratione ipsa aqua particulas suas inflectendo prorepit vel fluit, quam quod necessario maximum hujus salis ætherei influxum admittat, oblongis particulis & obtusis, ad modum porosis constans. Hæc cum terra rapidissimum particularum salinarum motum retardat, excipiendo illas in oblongis hisce cellulis, illasque diluendo, quo pacto nec tantæ penetrationis, nec activitatis evadant, pleraque igitur corporum fluiditas, aquæ adscribenda venit ut & figuræ sphæricæ minimarum superficiecularum salibus tenuissimis refertarum, ideoque olea imo & ipsi spiritus ardentes in aquam levissimam salsuginosam converti queunt arte Chymica: ex hisce concludi licet, eo magis fluida esse corpora, quo minori terra & majori econtra aquæ & salis tenuissimi copia abundent & vice versa, hinc spiritus ardentes, & salini multo sunt fluidores oleo quia ex aptissime divisis particulis & porosissimæ texturæ præditi sunt: ubi econ-

econtra olea majori & crassiori terra abundent. Fluida omnia examinare & ea præcipue in macrocosmo superfluum duxi cum hoc infiniti esset laboris & non ad scopum nostram spectent: hic enim de liquidis seu humoribus corporis viventis vel potius humani eorumque alteratione varia breviter agere intendimus.

THESIS V.

Obiter igitur annotatis macrocosmi fluidis, quatenus nostros humores afficiunt verbum tantum addere libet ad meliorem illustrationem alterationis: consideramus materiam subtilem tanquam primum fluidum simplex ut supra, inde autem derivata fluida esse composita solummodo agitata & impulsa ab æthere subtili in varias figuras, moleculas & motus redacta sua penetratione & pressione humores nostros undiquaque afficientia & disponentia secundum superficies & cavitates minimas ut aër cum suis miasmatibus ibidem obvolitantibus: sufficiat hæc digressio tendenti ad ea fluida qui corpori nostro propria sunt, sub nomine alimenti modificati sese primo offerentia: hæc modificatio ita sese habet, laxior in principio prodit assumptorum textura admodum irregularis per masticationem & copiosam salivæ mixturam articulationes hasce alimentorum fibrosas solventis, superficiesque à superficiebus segregantis, unde facile è suis carceribus corpuscula excidunt casu hic illic fere tantum non agglutinata; sic levi de causa alimenta in ventriculum delapsa per agitationes & pressiones in pulpam convertuntur accessu humidi per insinuationes aëris & transitus continuos materiæ subtilis illa salia de loco in locum propellentis, quæ in mutua collisione hic illic magis magisque divisa ad imminutiones rarissimas & expansiones reducuntur, ex qua concussione partes terrestres hic illic agitatæ & projectæ differentes plane nexus & ordines inire necessum est prout nempe ramosam æqualem vel aliam figuram sibi partes minimæ facillimeque mutabiles comparaverint: impossibile etenim est in tanta collisione, ut unæ eædemque producantur & elaborentur nexus & ordinis figuræ, ubi illa pressio & fricatio partium adest perpetua, ex hac colluctatione infinita prodeunt effluvia salino oleosa, apertis cellulis terrestribus sese manifestantia, horumque à crassioribus & mere fæculentis particulis caput mortuum referentibus secessus: chylus ergo nil aliud est nisi pars

ali-

alimenti oleoso salina, mediante lympha diluta, exinde albedinis ejus resultat ratio ex eo quod oblongo, fibrosoque superficierum nexu mediante hac lympha acquisito constet, hæc sufficienter declarant ipsa olea, forti concussione aquis intermixta albedinem inde acquirentia: nam intercapedinibus meatuum ab hisce aquosis particulis obsessis in longum necessario deduci debent corpusculorum superficies: ubi vero mediante peristaltico intestinorum motu & continua abdominis aliorumque musculorum compresſione per vasa lactea primi & secundi generis delatus chylus sanguini miscetur albedinis notam partim deponit & colore rubicundo imprægnatur, quod inde texturæ suæ alterationem majorem per sanguinis miscelam exaltationemque salinam statim arguit: hinc etiam ipsa olea ubi vel cum salibus fixis vel volatilibus digeruntur ruberrimo colore afficiuntur, ex his patet sanguinem nostrum hujus chyli subtiliati & exaltati tantum esse partem, magis salino ramosam. Universale hoc fluidum quod (prout diximus) à chylo dependet, ubi per cor, arterias & venas circulatur vulgo sanguis dicitur, videtur intra vasa fluens homogeneus esse liquor, qui revera tamen maxime dissimilaris est & plurimis ex particulis solo motu confusis & superficialiter saltem commixtis constat quemadmondum hoc demonstrant variæ partes ab universali hac massa diversis in colatoriis seu visceribus segregabiles ut in cerebro spiritus, in hepate bilis &c. qui infra in alterationibus breviter attingendo demonstrabuntur, imo quod declarat per venæ sectionem emissus sanguis in serum; in chylum, in partes viscidas albentes & rubentes facillime secedens.

THESIS VI.

Alteratio respicit duplicem statum scilicet, vel naturalem de quo nunc, vel præternaturalem, de quo postea agendum. Alterationes autem humorum nunquam accidunt, nisi alterata prius & mutata superficiei prioris dispositione, nec illa rursum contingit, nisi humores & quoad consistentiam & quoad colores alterentur: quamprimum igitur inconstans sese obtulerit humorum superficialis nexus, statim vel consistentiæ, vel colorum alteratio se manifestat. Sic albedo præsupponit majorem molem & oblongiorem planioremque superficiei nexum, unde motui cæteris paribus ineptissimam constituit figuram, ubi

ubi econtra vel rubedo vel flavedo exaltationem motus sphærici & dispositionem corpusculorum ad majorem motum designat ob facilem illarum partium fluiditatem iis communicandam ab æthere impellente; coloris vero nigri vel lividi particulæ constant è lacera & admodum divisa textura superficiei: unde nullibi & figura & actio naturalis superstat: ex eodem fonte humorum desumi debent consistentiæ; hæ enim activitatem ut plurimum vel debilitatem denuntiant; prout enim hæ tenuiores, limpidiores & magis reflectentes sunt, statim præsupponunt salium velocitatem & mixturam cum terris levioribus. Unde rutilans emergit repercussio radiorum, econtra autem ubi à reflexione illa ad ingratos colores & obscuram consistentiam humores deflectunt, statim inditia manifesta exhibent corpuscula crassiora terrestria incondita figura oberrare per totam liquoris substantiam intercipientia luminis radios. Hinc quo tenuior alterati humoris est consistentia, eo fluidior & quo crassior eo solidior evadit ejusdem status.

THESIS VII.

Per motum huc illuc propulsas particulas fluidas se invicem atterere & imminuere, & variis modis afficere ex supra dictis patet; ita ut sensim per agitationes & molles suas rudorosas figuras quibuscumque postea modificationibus & alterationibus aptæ natæ sese sistant. Per hasce ergo circulationes, quas fluida in nostro corpore per quæcumque majora vel minora organa perficere coguntur, miris modis imprægnantur & alterantur, ubi diversissima figura præditis secundum superficiem & poros organis occurrunt, unde eorum alteratio variat, ratione locorum per quæ cursum suum absolvere coguntur, saporem, coloremque ut plurimum inde mutantia. Ut igitur ipsotum fluidorum alterationes probe dignoscantur, notari & adverti debet organorum in corpore nostro structura, ex canaliculis minimis & tubulis etiam in minimis corporum partibus existentibus constans. Vasa hæc infinitis fere gyris labyrinthi artificiosi instar sunt disposita, alia majora diversissimi situs & figuræ nonnulla angustioris, latioris &c. quædam vocantur excretoria quæ dicuntur ex usu vulgari talia, quia liquorem extra corpus exportandum ferunt, aliaque multa & infinita, probe vero diversitates figurarum horum meatuum

tuum & pororum notandæ; in hisce enim fluida excepta pressiones suas circulares absolvendo juxta eorumdem differentes ordines diverse modificari & alterationes plurimas ab hisce sustinere necessum est; prout enim canaliculi hi & pori sunt rectilinei & incurvati, angustiores vel latiores alterove ordine constituti, sic & externæ non solum & internæ corporum diversitates in lucem prodeunt, sed & actionum & virium maxima alteratio subsequitur, odore, colore, & sapore ipso aliisque inde oriundis: materia enim quæcunque fluida major in principio, minor & sensim minima fiet in tubulorum horum angustioris & incurvatæ figuræ permeatione continua, quæ circumrotatio quo magis diutina est in illis tortuosis & angustioribus tubulis, eo magis subtilis, velocior & tenuior hæc materia reddetur, ubique lateribus allidens & limitibus arctioribus pressa. Quo autem spatiola organorum majora & rectiora existunt, eo majora manebunt corpora; latiores etenim viæ & meatus liberrimum & facillimum præbent materiæ fluidæ ingressum, eamque cito cursu in altum elevari sinunt, sed eam minus alterant & immutant & vix ullas subire mutationes saltem valde paucas cæteris paribus permittent: multum insuper contribuunt variæ illorum pororum dispositiones ad alterationes producendas, quæ obstacula in mediis canaliculis exhibent, fluidorumque in hisce contentorum rectilineum motum perhibent, & sunt glandulæ in nostro corpore innumeræ disseminatæ: hæ mediantibus suis meatuum anfractibus & angustiis tanquam per filtra continua fluida transcolant, & sic magis eadem exaltant. Alterationes igitur humorum nostrorum in corpore ab hac organica dispositione & miscela diversarum partium & non ab imaginaria quadam fermentatione deducendæ sunt. Sic ubi ex sanguinea massa, tanquam fluido universali halitus tenuiores cerebri substantiam ejusque nervos petunt & instar roris ad ultima penetralia totius corporis pertingunt, spiritus animales audiunt, tam sensuum quam motuum omnium organa. Ad hepar motu circulatorio delatus sanguis inibi in triplicem substantiam dispergitur; pars enim sanguinis maxima per venæ cavæ radices recurrit, alia pars à lymphaticis secernitur & alia à biliariis vasis absorbetur. Plurium tamen particularum à biliariis vasis separatio ac adaptatio efficit ut in-

de emergat liquor amarus flavus & aliis materiæ modis prædítus sub nomine bilis ubi econtra per arterias emulgentes ac harum surculos capillares sanguis pulsu cordis impellitur, tum serum urinosum à reliqua massa ad canales glandularum excretorios deponitur, reliquiæ vero sanguinis ad communem fontem revehuntur. Eodem modo aliæ aliis in organis humorum nostrorum alterationes procedunt, ut in panchreate liene, glandulis subcutaneis &c. imo ni tædiosum foret reliquos vasorum in corpore apparatus, ad diversas secretiones & alterationes examinare, non foret difficile ostendere unamquamque peculiarem & perpetuam ad liquores istos alterandos mechanicam texturam habere, sine qua alteratio illa depravatur vel aboletur.

THESIS VIII.

Ne quis tamen putet solam organorum structuram diversam ad alterationes nonnullas producendas sufficere requiruntur insuper miscelæ diversarum partium fluidarum vel è glandulis, nervis, vel vasis lymphaticis hic illic in fibroso vasorum aliorum contextu disseminatis, quæ alterationes diversas humoribus nostris procurare possunt, prout ipsa fuerint diversimode primo alterata. Quid enim liquores in primis viis imminuendo, humectando, & alimenta tenuia reddendo non efficiunt, quid non miscelæ placidum congressum admittentes, sine ullo sensibili motu inferunt ad levissimas imo sæpius gravissimas præcipitationes, concussiones & decussiones corporum vix in principio observabiles: unde sæpius varii halitus & in varios secessus coalita corpora, benigne vel maligne corpus nostrum ex tempore afficiunt, ubi impraegnatur mulier quas alterationes & mutationes ipsa non subit? menstrua ordinarie subsistunt, mammæ copioso lacte intumescunt, testiculis abscissis imberbes evadunt, vocis varias ineunt mutationes: in hisce omnibus variæ exoriuntur alterationes ubi tamen pororum structura manet eadem, quæ ulterius prosequi tam in nostro corpore sano vel infirmo imo ut & in aliis corporibus tantummodo confusis admirandas alterationes adipiscentibus nimis longum foret excederetque termini præscripti fines: requiruntur ergo nostro sensu miscelæ fluidorum diversæ & effluvia varia quæ apta nata sunt tales alterationes una cum organorum

rum

rum ſtructura efficere : ſic atrophia mox ſubſequitur ubi vel nervo obſtructo vel alio modo affecto ſpirituum animalium intercipitur radiatio &c. ex his patet evidenter corpora omnia valde alterari & immutari non ſolum ab occurſu ſolidorum ſed etiam fluidorum corporum, hoc enim mediante vel ſe invicem deſtruunt vel ſe exaltant & diverſimode alterant ut in plurimis patet experimentis chymicis.

THESIS IX.

Naturales hactenus humorum motus & alterationes neceſſarias examinavimus, reſtat ut præternaturales viciſſim ſcrutemur : quam facile fluida in noſtro corpore præternaturam alterari poſſint, facillime patet ex mobili eorumdem exercitio, quod contingere non poteſt abſque continua alliſione, fricatione, & colliſione partium ſuperficie diverſa gaudentium; hinc fluida continuam ſubeunt texturæ modificationem & alterationem nunc minorem, nunc vero majorem : minor ſuccedit alteratio ubi eadem textura blande tantum in aliquibus partibus diſponitur, ut ex eo ad majorem tenuitatem & motum vel ad alias quaſcunque leviores alterationes cogatur: motus igitur actiones omnes in corpore noſtro producit : cum enim hic fricationes varias ſuperficiales procuret, neceſſum eſt ut ilico in apricum diverſi ſalium effectus producantur circa texturas aliorum corporum ab illis afficiendorum : hinc in motu conſtituta corpora evadunt ſemper admodum ſalina & maxima acredine conſpicua, ita ut nonnumquam in viſcera corporum occurrentium ſæviendo ea plane dilanient & deſtruant. Ubi enim prædominantur ſalinæ particulæ extra ſuas vaginas terreſtres (quibus eorum acies coërcebatur) vagabundæ, tunc movendo & concutiendo ſpiculis ſuis corporum texturas perpetuo inter ſe atterunt & decutiunt altiuſque affluvia ſua ingerunt : unde variorum morborum ſatis acutorum fiunt plurimæ origines : hinc eſt quod per breve temporis ſpatium abſque alimentorum aſſumptione naturali in ſtatu ſabſiſtere & durare non poſſit maſſa noſtra ſanguinea, niſi ipſæ alimentorum & chyli particulæ ramoſæ ſua agglutinatione urinas & fiſſuras repararent quas ipſa ſubire debet ab omni parte moleſtata impetu & niſu corporum pungentium quo ſenſim ſine ſenſu ejuſdem mecha-

nicam texturam solvunt : hinc etiam sanguis famelicorum semper deprehenditur admodum acris & salinus.

THESIS X.

Destructum vel pro parte vel totaliter salinorum horum corporum domicilium statim subsequuntur in diversas partes secessus corporum: cùm enim actio ipsorum salium velocissima modificetur & inviscetur mediantibus oblongis & obtusis terrestribus & aquosis particulis, necessum est ut hisce carceribus quantocius liberata, sui rursum reddantur juris & naturæ, id est, scindant, pungant & dividant corporum occurrentium nexus: ubi econtra terræ & aquæ spiritibus suis salinis privatæ inertes postmodum & immobiles existunt, quæ antea ratione salium motu velociori gaudebant: exinde nullibi actio naturalis & figura remanet, sed duo contraria in ruinam machinæ nostræ sanguineæ conspirant effecta; acredo nempe salis extricati valde corrosiva & deleteria, & vapescentia à terra & aqua spiritu salino potissimum privatis.

THESIS XI.

Divortia harum partium diversa, differentem constituunt in nostro corpore morborum statum, sanguinis nempe motum auctum, vel ejusdem imminutum, utrumque œconomiæ nostræ animali contrarium: ubi enim fricationes & attritiones corporum diutius continuantur, necessum est ut infinita exinde prosilire cogantur salina effluvia nostros spiritus & humores vehementius in motum deducentia; omnia enim corpora salina (quantum in se est) semper sunt motu maximo instructa, quia admodum sunt divisa, motui æthereo facillime auscultantia: salia igitur tandem terrestribus claustris privata, & sui juris facta obviis corporibus motum suum communicant, se intra eorumdem poros insinuantia; unde hi replentur, vasa distenduntur, alia comprimuntur, accedente & instigante motu particularum circulatorio: ubi econtra maximæ terrestres particulæ per motus hosce violentos fortius concussæ & abrasæ, inque formam limæ redactæ, una cum aquosis secedentibus & divortium unâ passis hic illic subsistere turbido modo coguntur, hisce punctis minimis seu primis motoribus pro maxima parte destitutæ: unde graviores & magis vappidæ factæ cursum suum absolvere nequeunt ubique hærentes & vasa infarcientes, unde per consequens in

sta-

ſtatu hoc poſteriori motus imminutus, ubi econtra in priori motus auctus cernuntur.

THESIS XII.

Morbos omnes calidos vulgo dictos ſub ſanguinis & lymphæ motu aucto comprehendi debere evidenter patet, cum calor non reſultet niſi ex validiori partium motu. Hinc inflammationes omnes, ut pleuritis, peripneumoniæ, anginæ, eriſipelas, febres vulgares, ardentes, malignæ &c. ad hanc claſſem ſunt deducenda quæ ſicco pede brevitatis cauſa pertranſimus: ſolummodo notandum eſt, motus hoſce omnes eo majori cum exæſtuatione, calore & vehementia procedere quo aptior figura exſtiterit ad celeriorem ſuæ viciniæ mutationem & quo majori in copia ſpicula ſalina ubivis irrumpentia & magno impetu ſibi vias parantia ſeſe obtulerint: hinc prout ſitus & diſpoſitiones variant illorum ſpiculorum magis minuſve extra terram eminentium & latera vaſorum & fibroſum contextum ut & fluidum infeſtantium ſic motus ſanguinis majores vel minores & ii vel violentiores vel benigniores ſuccedent.

THESIS XIII.

Motum ſanguinis imminutum conſtituunt morbi ita dicti frigidi & cronici ut cacexia, hidropis variæ ſpecies, icterus, aſtma, ſcorbutus &c. morbi hi aquoſo terreſtri prædominio ſuas origines debere ſufficienter declarant eorum effectus, cauſæ curationes & externa accidentia. Sic hidropicorum corporis pallor, frigus & tumor digiti prementis veſtigium diu retinens, ſcorbuticorum laſſitudines & torpor, aliorumque infinitorum ſymptomatum apparitiones nil aliud indicant, quam prædominium terreſtre aquoſum, infarciens vaſa, ætherem ſubmergens & inviſcans ſalia volatilia & oleoſa incarcerans & ſic motum ſanguinis imminutum producens: ſic etiam morborum horum ut & aliorum urinæ diverſimode tractatæ ſat ſufficienter declarant particulas vel aquoſas terreſtres in hiſce morbis prout in aliis ſalinas prædominari.

THESIS XIV.

Delineatis breviter humorum noſtrorum alterationibus præternaturalibus, reſtat ut aliquid de earum curatione dicamus. Hæc ab alcalicis, balſamicis ſpirituoſis, aquoſis & terreſtribus ut & nonnumquam ab acidis ſeu muriaticis deducenda eſt

va-

varians pro morbi diverso statu. Ubi ergo citato cursu feruntur humores nostri ad acrem salinam consistentiam vergentes acidomuriaticorum usus non est respuendus : hinc enim blanda coagulatione particularum inducta, feroces humorum motus præcaventur non diu nec multum tamen infringendi ne naturales motus etiam tollantur nimia incrassatione ubi vero vappidæ aquosæ terrestres sunt homorum consistentiæ & visciditates tum illæ per salia volatilia. aromatica incidantur & attenuentur, vasa obstructa deobstruantur habita ubique symptomatum urgentium ratione:

Atque hæc sunt quæ de humorum alteratione annotare volui; brevitas enim mihi pro lege fuit & nunc pro argumento veniæ erit si quæ minus sunt à nobis expresse pensiculateque posita.

FINIS.

